



## The Holy See

---

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *TRIDENTINAE\**

NOVA PROVINCIA ECCLESIASTICA «TRIDENTINA» CONDITUR,  
CUIUS METROPOLITANA SEDES TRIDENTINA IPSA ERIT.

Tridentinae Ecclesiae atque urbis laudes, etsi omnes egregiae, hac una tamen re superantur et quasi offunduntur, quod annis MDXLV- MDLXIII celeberrimi Concilii Patribus sedes aptissima fuerit. Quo sane factum est ut Tridentum urbs contra praepotentes haereses propugnaculum et murus nullo non tempore habita sit, utpote cum magistri illi ac summae pietatis viri extrema veluti lineamenta christianae veritati attulerint, quam Christus, Dei Filius, Ecclesiae suae thesaurum atque opulentum patrimonium reliquit. Ceterum, christiana vita, Dei munere Praesulumque clerique industria et labore florens, et religiosa coepta ibidem in dies gliscentia, huic urbi atque archidioecesi dignitatem et auctoritatem attribuunt. Quibus aliisque de causis visum est opportuno fieri consilio, si Tridentina Sedes, nova condita provincia ecclesiastica, in ordinem metropolitanarum Ecclesiarum redigeretur. Consilio ergo petito a venerabilibus Fratribus locorum Ordinariis, apostolica Nostra potestate, haec quae sequuntur, decernimus. Novam ecclesiasticam provinciam constituimus, *Tridentinam* appellandam, cuius Ecclesia princeps Tridentina ipsa erit et metropolitana, suffraganea vero dioecesis Bauzanensis-Brixinensis. Scilicet metropolitanae huic Sedi omnia iura et privilegia damus quae iure canonico talibus Ecclesiis tribuuntur. Item et Tridentinum Antistitem dignitate metropolitanae insignimus cum debitis honoribus et privilegiis. Ceterum, has Litteras Nostras ad effectum adducet dilectus Filius Noster Ioannes S. R. E. Card. Urbani, Velleitarum Patriarcha, vel quem ipse delegaverit, factis nempe necessariis facultatibus. Re vero acta, idem documenta exarari faciet, eademque sinceris exemplis ad Sacram Congregationem Consistorialem cito mittet.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel

scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

*Datum ex Arce Gandulfi, prope Romam, die sexto mensis Augusti, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo quarto, Pontificatus Nostri secundo.*

IACOBUS A. Card. COPELLO <i>S. R. E. Cancellarius</i>	CAROLUS Card. CONFALONIERI <i>S. Congr. Consistorialis a Secretis</i>
--	--

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regens Ioannes Calleri, Protonot. Apost.*

Sylvius Romani, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LVII (1965), n. 5, pp. 367-368 © Copyright 1964 - Libreria Editrice Vaticana